

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
DE
NECROSI OSSIVM

Q V A M
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THV.
RINGIAE REL.

CONSENTANTE

GRATIOSO MEDICORVM ORDINE
PRAESIDE

IUSTO CHRISTIANO LODER

MED. D. ET P. P. O.

PRO GRADV DOCTORIS
SVMNISQVE

IN MEDICINA ET CHIRVURGIA HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS

RITE CONSEQUENDIS

A. D. XIX. APRILIS MDCCCLXXXIV.

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

IOANNES CONRADVS HONNERLAG

TROGA-HELVETVS.

IENAE,

TYPIS GOEPPERTII.

St. L.

101.

REVISED EDITION OF THE

Med. V. 101

²3e

OF THE

OF THE

V. 101

129270901

P A T R I

OPTIMO ET INDVLGENTISSIMO

OMNI AMORIS ET HONORIS CVLTV

AD CINERES VSQVE DEVENERANDO

BARTHOL. HONNERLAG

MEDICINAE DOCTORI

EXPERIENTISSIMO

A T Q V E

PRAEFECTO PROVINCIAE

GRAVISSIMO

H O C

SPECIMEM ACADEMICVM

TANQVAM DOCUMENTVM

GRATISSIMI ANIMI SVMMAEQVAE PIETATIS

SACRVM ESSE VOLVIT

FILIVS OBSEQVENTISSIMVS

IOANNES CONRADVS HONNERLAG

PROOEMIUM.

Constitueram mecum, specimine inaugu-
rali ea, quae ad dignoscendam ac diu-
dicandam et curandam necrosin ossium
faciunt, copiose et integre exponere iis-
que nonnullas obseruationes huc specta-
tes e diario Instituti clinici medico-chi-
rurgici Ienensis desumptas subiungere: sed
egressus sum a proposito, cum librum
egregium Ill. WEIDMANNI *) legerem,
quippe qui hoc argumentum tanta eru-
ditione et sollertia pertractauit, vt tota
haec materia scribendi penitus exhausta
videatur. Sufficiat igitur, vt obseruatio-

A 3

nibus

*) *De necrosi ossium.* Francof. ad Moen. 1793. fol.

nibus denuo probare studeam ea, quae Vir Ill. summo, quod ipsi inest, ingenii acumine protulit. Hanc symbolam, quam illi thesauro addere tentavi, si peritis harum rerum arbitris non plane displicuisse cognouero, valde laetabor, meque non inutilem laborem suscepisse mihi persuadebo. Ignoscant autem velim beneuoli Lectores, si qua inueniant nec eleganter satis dicta nec erudite proposita: non enim a iuvene et tyrone exspectanda esse videtur summa in rebus suis absolutio atque perfectio. Hoc solum moneo, *veras* esse obseruationes, quas retuli. Pro veritate illarum non solum interpono meam fidem, quippe qui duos illorum aegrotorum, de quibus sermo est, eorumque curationem ipse vidi, sed spondet etiam pro illa fides PRAESIDIS mei et Ill. HUFELANDII, quorum curae Institutum clinicum a Serenissimo Duce Viniariensi commissum est.

Sub nomine *necroseos ossium* intelligit Ill. WEIDMANN *) illum morbum, „quando vis ossium vitalis alicubi omnino extinguitur vel extincta est, vt pars illa nutrimento suscipiendo imposterum inepta absoluat et decidat.“ Differt haec definitio aut descriptio naturae huius morbi a sententia aliorum scriptorum, qui tum necrosin ad cariem ossium, tum ad spinam ventosam, tum ad paedarthrocacem retulerunt: differt quoque a celeberrimi olim Chirurghi Rothomagensis, DAVID **) opinione, qui ossis demortui se-

A 4 paratio-

*) *Lib. cit. pag. 6.*

**) *Observations sur une maladie d'os connue sous le nom de nécrose. Par. 1782. 8. Germanice legitur haec Commentatio in Sammlung auserlesener Abhandlungen für Wundärzte. Stück 7.*

parationem et periostei circumducti ossificationem semper in hoc morbo adesse contendit. Apud anglicos Chirurgos idem morbus plerumque vocatur *exfoliatio ossis interna* (internal exfoliation), quia illi sibi fingunt, interioris laminae ossium perditionem et separationem pro causa huius mali habendam esse: displicet autem haec denominatio, quia non interiora ossis tantummodo, sed etiam exteriora, hoc malo adficiuntur, immo tota ossis substantia interdum vitio illo correpta est.

Ad morbi naturam pertinere videtur ossis aliqua destructio et demortuae partis separatio, quae ramentum vel frustum format, quod gallici scriptores *sequestre* dicunt. Id latet in ipso osse, si ad interiora pertinet, aut incumbit ossi, si morbus exteriora tantummodo adficit: mobile est plus minusue; pro vario separationis vel incipientis vel peractae gradu: digito vel specillo in fistulas, quae in partibus mollibus adsunt, immisso, facile plerumque percipitur. Hoc ramentum successu temporis per fistulas eiicitur, tum frustatim, tum integre: quo diutius duravit morbus, quo maiores sunt vires

vires naturae, quo viuidior est vasorum absorbentium actio; eo asperior solet esse frusti illius superficies et quasi porosior substantia atque a sani offis habitu differentia. Si vitium simplex est, nec cum miasmate quodam aut cum alio offis vitio coniunctum; fistulae sponte coalescunt et partis adfectae sanatio perficitur post peractam ramenti eiectionem: tumor partium mollium, qui durante morbo adfuerat, tunc diminuitur et tandem penitus cessat, remanet vero aliqua offis intumescentia: color cutis ruber et liuidus in naturalem transit.

Ad causas morbi quod attinet, non est, cur illis exponendis immorer, cum omnes ac singulas curate et copiose exposuerit Ill. WEIDMANN, quem meritis laudibus supra iam allegavi. Liceat tantummodo paucis addere, malum hoc saepe oriri a refrigerio locali, inprimis in extremitatibus, si per aliquod tempus corpus nudum aut male vestitum humido et frigido loco expositum fuerit. Docent haec obseruationes, quas infra retuli. Consentientem mecum adduco

Cel. DAVID*), qui saepe hunc morbum vidit et felicissime curavit.

Nulla aetas aut vitae ratio immunis est hoc morbo, qui sexum sequiorem pariter ac potioem inuadit. Plerumque tamen illi adficiuntur homines, qui contra coeli intemperiem corpus tueri nequeunt: morbus igitur potissimum est hominum vilioris conditionis.

Specimina ossium necrosi adfactorum delineata inueniuntur variis in scriptis, quae allegauit Ill. WEIDMANN, qui ipse optimas et elegantissime exaratas tabulas huc spectantes dedit. Plura eiusmodi ossa vidi in cl. PRAESIDIS thesauro anatomico, qui omnia non solum, quae Cel. DAVID collegerat specimina, sed et varia alia continet, ex quibus originem, incrementum et decrementum morbi, pariter ac ipsam curationem, illustrari posse equidem mihi persuadeo.

Curatio

*) *l. cit.* pag. 9. „Je'n ai vu qui ont dû leur origine à l'imprudence de s'être couché sur des terrains humides.“

Curatio morbi, vt supra iam indicaui, solis naturae viribus interdum perficitur*), sed multum temporis requiritur eum in finem, ac facile exhauriuntur vires aegroti, aut accedit febris hectica ex absorptione puris enata. Opus igitur esse videtur, vt ars in auxilium veniat, idque breui tempore absoluat, quod natura lente et maiori vitae periculo efficit. Si demortua ossis pars e fistula prodit, sufficere videtur sola incisio integumentorum et suppurationis excitatio ac promotio, vt docet obseruatio nostra 1. Si vero profunde latet illa pars, vel si firmiter ossi inhaeret, vi aperienda est, qua illa educi possit. Tunc incidendae et remouendae sunt partes molles, vt ipsum os adfectum in conspectum veniat, quo facto, vel trepano aperiendum est cauum ossis, vel caeli malleique ope remouendum est id, quod impedit quominus frustum demortuum educatur. Haec methodus optima et naturae morbi quam maxime conueniens videtur, praesertim cum

oppor-

*) KUNDMANN *Rariora naturae et artis*. Vratislav. et Lips. 1737. fol. pag. 882, Exstat ibi icon frusti ossis demortui quatuor pollicum, quod sponte expulsus est ex humero puellae annorum X. Alia eiusmodi exempla apud alios scriptores leguntur.

opportunitatem quoque praebeat ea simul remouendi, quae in ipso osse morbose adfecta fuerint. Sanatio vulneris simplicissima est nullaque fere remedia, nisi ea quae in aliis vulneribus curandis adhiberi solent, requirit: remanet autem ossis crassities, si antea iam adfuit. Haec vero, quia ex observationibus nostris patent, fusius enarrare nolo, sed statim ad ipsas historias morbi transeo.

OBSERVATIO. I.

Carolus QUANDT, annos natus XII. e pago Pfiffelbach in nosocomium Instituti clinici venit sub finem mensis Augusti ann. CIOIOCCCLXXXI.

Necrosi humeri sinistri adfectus puer retulit, se aestate anni praeteriti in superiori humeri parte percepisse dolorem, quem ab ictu perpesso enatum esse tunc sibi persuaserat. Dolore quotidie fere crescente chirurgum aut potius barbitonforem in usum vocauit, qui emplastrum aliquod adhibuit:
quo

quo facto, exortus est in illo loco tumor inflammatorius abscessum tandem formans, quem, phlebotomo vulgari aperuit chirurgus. Affluxit larga puris copia sine notabili doloris diminutione et breui post tria orificia fistulosa in vicinia huius partis sponte adparuerunt, e quibus sensim sensimque festucae osseae paruae prodierunt. Tum correptus est puer variolis, quas felicissime superauit, etsi nulla remedia adhiberentur, tandemque post aliquot hebdomadas fistulae coaluerunt. Deinde, praeterlapsis circiter mensibus duobus, denuo intumuit humerus et nouae fistulae enatae sunt, e quibus sponte prodierunt festucae osseae. Mater pueri varia emplastra adhibuit: cum vero illorum adplicatione morbum non superari animaduerneret, nosocomium nostrum adiit.

Instituto aegroti examine statim adparuit, puerum laborare vermibus. Quod vero ad ipsam partem adfectam attinebat, tres aderant fistulae in superiori humeri parte, ad pollicis et quod excurrit latitudinem a se inuicem distantes, lineamque rectam a superiori ad inferius ductam occupantes. E superiori fistula prodibat apex festucae osseae
firmiter

firmiter offi adhaerentis : per inferiora orificia specillum ad os vsque facile penetrabat. Datum puero est per aliquot dies electuari-um anthelmiaticum STOERCKII, per cuius vsum magna copia lumbricorum et mucis tenacis expulsa est. Tum cl. PRAESES tria illa orificia fistulosa per incisionem in longitudinem ad os vsque ductam in vnicum vulnus vniuit illudque idoneis remediis ad suppurationem excitare annifus est. Enata sup-puratione mobilior euasit festuca ossea, adeo, vt die III. Septembris facile extrahi possset. Tum nouum in conspectum venit ex media vulneris parte frustum osseum, longe maius, quod primo die Octobris vol-sellae ope nulla fere vi adhibita eductum est: erat ipsi longitudo pollicum duorum latitudo pollicis circiter dimidii. Post ali-quot dies nonnullae minores festucae osseaè cum pure exierunt, quo facto vulnus tan-dem coaluit, ita, vt medio Nouembris puer plane restitutus optimaque valetudine fruens e nosocomio dimitteretur. Notandum est, praeter vnguentum digestiuum, quod initio adhibitum est, nulla fere remedia externa in vsum vocata esse, nisi decoctum corticis peruuiiani cum melle rosarum et pauxillo
tinctu-

— 8 —

tincturae myrrhae mixtum, cuius ope vulnus per aliquod tempus sub quavis deligatione expurgatum est. Versus finem curationis linteo carpto sicco vulnus quotidie deligatum est.

OBSERVATIO II.

Dorothea Rosina SCHMIDT, ex vrbe Neustadiensi ad Orilam, viginti annos nata, necrosi offis humeri dextri laborans, medio mensis Septembris MDCCCLXXXII in clinicum Institutum recepta est. Examinata parte adfecta, humerus in articulo superiori et inferiori mobilis quidem, sed tactu durus adeoque tumidus ac veluti inflatus reperiebatur, vt naturalem crassitiem bis fere superaret: vlcera fistulosa, carne luxuriante cincta et ichorem tenuem ac foetidum effundentia, quorum quatuor in anteriori, tria in posteriori superficie aderant, specillum admittebant ad ipsum vsque offis cauum, eoque modo inter se communicabant, vt aqua tepida cuilibet orificio iniecta per reliqua omnia libere efflueret: ipsum vero, quod

quod Galli *sequestre* vocant, demortuum et separatum ossis frustum specillo detegi non poterat, etsi reliqua, quae iam exposita sunt, morbi signa ipsius praesentiam distincte indicare viderentur. Ceterum cachectica erat puella et menstruorum suppressione laborabat.

De morbi origine ac decursu interrogata aegrotata respondit, se mense Aprili praeteriti anni, cum aestu solis et labore defatigata fuisset, somnum cepisse in aruo humido et subitaneum refrigerium inde sibi contraxisse in humero dextro: e somno experrectam se statim sensisse in illa parte dolorem pungentem cui breui post accesserit febris satis vehemens; post sex vel octo dies humerum intumuisse et rubro colore ac maiori dolore adfectum esse, haec vero symptomata molesta per cataplasmatum emollientium adplicationem ita sensim diminuta esse, ut brachio suo aliquo modo uti posset, etsi tumor remaneret. Factum deinde esse, ut, cum onus aliquod mouere tentaret, sonus perciperetur in brachio adfecto, quasi diffracti ossis: breui post infectum esse nouum tumorem cum rubore et dolore longe vehementer.

vehementiori: varia remedia externa et interna in vsum vocata esse sine leuanime: post sex menses exortum esse in posteriori humeri parte tumorem durum et dolentem, circumscriptum, ex eoque, cum cutelli ope aperiretur, effluxisse sanguinem ichorosum: deinde alios eiusmodi tumores adparuisse, qui tandem vlcera fistulosa ichorem foetidum effudentia formauerint.

Contra hoc malum cum varia adhibuisset medicamenta, tam interna, quam externa, a pluribus Medicis et Chirurgis ipsi praescripta, Jenam venit aegrota atque clar. PRAESIDIS auxilium implorauit. Persuadebat sibi, fore, vt solis remediis internis sanguinem depurantibus morbus curari posset, nolebatque manum chirurgicam sibi adhiberi: sed cum PRAESSES ipsi diceret, nullam superesse, nisi chirurgicam, opem, subiiciebat se tandem dirae necessitati.

Instituta est operatio die XVIII Septembris, praesentibus omnibus Collegii clinici membris. Aegrota in situm conuenientem

collocata et torculari in ipsa plica axillae adplicato, duarum incisionum semiovalium ope [cutis longitudine septem pollicum Parisiensium discissa et tota iisdem comprehensa pars, quae fistularum orificia continebat, a tela celluosa separata et remota est. Discissi deinde sunt muscoli per longitudinem vsque ad os, vt maiora vasa, quantum id fieri posset, euitarentur. Tum diductis partibus mollibus digitorum et vncorum planorum ope, periosteum, quod crassissimum erat, ablatum et ipsum os denudatum est, quo facto caeli adplicatione et mallei plumbei ictibus tota ossis adfecta pars remota est, ita, vt cauum medullam continens plane aperiretur. Ablatis hoc modo XXXIV ramentis osseis, tandem in conspectum venit frustum demortuum in ipso ossis cauo latens, quatuor pollices longitudine aequans, quod vossella prehensum et facile extractum est. Quod cum factum esset, aliud eiusmodi frustum detexit cl. PRAESES, illudque, ablata caeli malleique ope alia ossis humeri parte, integrum extraxit: latius id erat priori et paullo longius. Tota haec operatio per horae spatium duravit: sanguinis iactura modica fuit nec lipothymia correpta est aegrota,

aegrotata, quippe cui per interualla permiffum erat, vt vires recuperaret et pauxillum mixturae analepticae ex aqua cinnamomi et fyrupo quodam grato compositae fumeret. Tandem linteo carpto licco molliori repletum est offis cauum, fuperimpositum est fplenium fpiritu vini humectatum et totus deligationis adparatus fasciae fpiralis adplicatione abfolutus est.

Peracta hoc modo operatione, praefcripfit cl. PRAESES diaetam antiphlogifticam nec non vfum pulueris ex cremore tartari et nitro compositi. Nulla infecuta funt fymptomata graua, dolor modicus fuit, nec febris vehemens. Tertia poft operationem die, cum prima vice deligatio mutaretur, aliquod fuppurationis initium iam adparuit, quam ob cauffam labia vulneris vnguento digeftiuo obtecta funt, totum vero offis cauum linteo carpto licco molliori repletum est. Haec medendi ratio adhibita est ad diem vsque decimum quartum, ita tamen, vt pulueris antea memorati in locum fubftitueretur decoctum corticis peruuiiani, quod per dies aliquot fumfit aegrotata. Tum vero in fuperiori vulneris loco nouum fruftum

osseum demortuum adparuit, quod largam in hac parte excitauit suppurationem e fistula effluentem, quam ad latus illius frusti adscendere, specillum immissum ostendit. Iniecta per aliquot dies essentia myrrhae, tandem die VIII Octobris solutum est illud frustum, ita, vt vossellae ope, non tamen sine vi et aliquo dolore, extrahi posset. Longitudo illius quinque pollices Parisienses et diameter integrum pollicem aequabat: in superiori extremo hamus aderat, cui difficultas in extractione huius frusti obseruata omnino tribuenda esse videbatur. Educta hoc adfecti ossis frusto vulnus in dies magis ad sanationem accessit, ita tamen, vt in inferiori parte tres festucae minores osseae sensim sensimque in conspectum venirent, quae, discissis hac parte integumentis, facile solutae et protractae sunt. Tum vulnus quidem granulationibus repletum et cicatrice obductum est, atque fistulae in posteriori humeri superficie obuiaae sponte coaluerunt, in medio vero vulneris remansit orificium fistulosum, malum pus fundens nec sanationem admittens. Quod cum variis remediis externis frustra tractatum fuisset, denudatum est die XIII Nouembris os per incisionem et caeli ac wallei ope id, quod

quod morbo correptum videbatur, ablatum est: hoc autem non sine magno dolore et largo sanguinis effluxu factum est, id quod defectui torcularis, hac vice non in usum vocati, potissimum tribuendum esse equidem mihi persuadeo. Tandem medio Decembris absoluta est vulneris sanatio, et, adhibitis nonnullis remediis ad excitandum et promouendum fluxum menstruum idoneis, aegrotata ex Instituto clinico dimissa est.

OBSERVATIO III.

Christophorus HEIDER, ex principatu Rudolstadiensi, annos natus octodecim, medio Nouembr. anni *MDCCCLXXXIII* in numerum aegrotorum Instituti clinici receptus est. Necrosi adfecta erat tibia sinistra in media sui parte: vlcera aderant fistulosa ad ossis cauum vsque ducentia, ichorem foetidum effundentia: ipsum crus adfectum tactu durum, tumidum et colore rubro aut potius violaceo infectum erat. Referebat aegrotus se iam quinque annos hoc malo laborasse, variaque remedia interna et externa frustra

adhibita esse. De morbi origine et causa interrogatus, respondit, se nullo antea morbo adfectum fuisse, excepta scabie, qua tres fere ante hoc malum annos laborauerit. Habitus corporis cachecticus videbatur, aderatque febricula, hecticæ indolis, quæ vespertino tempore aegrotum vexabat.

Dato remedio laxante antiphlogistico, operationem instituit cl. PRAESES a. d. XXVIII Nouembris, praesentibus omnibus collegii clinici membris. Duarum incisionum semioualium ope remota est cutis, longitudine quinque pollicum et latitudine pollicum circiter duorum, quo facto caeli malleique adplicatione tota adfecti ossis pars ademta est, adeo, vt ipsum ossis cauum pateret ac medulla in conspectum veniret. Ossis substantia spongiosa et aspera erat, frustum vero demortuum aut festuca mobilis non aderat. Profluuium sanguinis satis largum aquae vulnerariae adplicatione sublatum est, quo facto vulnus linteo carpto sicco impletum et obtectum solito modo deligatum est.

Breui post accepit aegrotus guttas XXV tincturae thebaicae. Vespertino tempore
prac-

praescriptus ipsi est puluis ex cremore tartari et nitro compositus, quo per duos dies usus est. Pro potu ordinario sumsit aquam citratam nec vllum cibum accepit praeter iusculum e vitulina carne paratum. Febris insequens modica fuit et dolor tolerabilis, somnus vero inquietus et interruptus. Excretiones fere naturales erant.

Die I. Decembris prima vice deligatio mutata est. Inuenimus satis magnam copiam puris male olentis et sanguinolenti. Labia vulneris tumida erant et inflammata, ossis vero denudati color albidus adparebat. Ipsum ossis vulnus impleuimus linteo carpto essentia succini humectato, labiis vero integumentorum disciformum imposuimus plumaceola vnguento illita, quod ex vitello oui recentis et ex vnguento basilico ac pauxillo essentiae myrrhae compositum erat.

Die II. Decembr. Febris nondum plane cessauerat. Adpetitum aegrotus sentiebat panisque frustum vna cum iusculo sibi dari petebat. Sub deligatione vulneris labia molliora inueniebantur, aderatque puris melioris aliqua copia.

Die IV. Decembr. Accepit aegrotus decoctum corticis peruuiiani cum saccharo lactis et pauxillo cremoris tartari, ac diaeta magis nutriens ipsi concessa est. Vulnus largam copiam puris boni fundens linteo carpto sicco obtectum est.

Die VI. Decembr. pulsus aegroti fere naturalem inuenimus. Continuatus est vsus decocti corticis peruuiiani sine cremore tartari. Vulnus pure laudabili obtectum et granulationes iam ostendens linteo carpto, corticis peruuiiani decocto humectato, deligatum est.

Die X. Decembris squamula ossea per spontaneam exfoliationem soluta educta est. Deligationis ratio eadem fuit, quam supra exposui.

Die XIII. Decembris . diarrhoea exorta est, quae valde debilitauit aegrotum, febrisque indicium in pulsu percepimus. Pus iusto tenuius repertum est in vulnere, cuius labia flaccida visa sunt. Accepit aegrotus corticem peruuiianum in forma pulueris cum guttulis aliquot tincturae thebaicae, potuique

potuique ordinario additus est spiritus vitrioli cum syrupo rubi idaei mixtus. Bis quoque de die aegrotus sumsit haustum vini albi. Hisce remediis adhibitis diarrhoea sensim cessauit et vires aegroti increuerunt, ipsum vero vulnus ad meliorem statum rediit.

Die XXX. Decembris frustulum osseum mobile e vulnere eductum est. Ob maiorem puris copiam bis de die deligatio instituta est. Adhibuimus semper fere linteam carptum siccum, ipsum vulnus vero decocti ex cortice hippocastani parati ope per lenem iniectionem purgauimus.

Die XIV. Ianuarii cicidocclxxxiv pus tenue et quasi aquosum adparuit, quam ob causam adhibuimus vnguentum digestiuum ad excitandam meliorem suppurationem. Pro vsu interno praescripsimus puluerem ex herba cicutae et cortice peruiano ac mercurio dulci compositum, mane et vesperti sumendum.

Die XIX. Ian. denuo extractum est frustum osseum mobile, quo facto plane disparu-

it tumor, qui regionem vulneris per aliquot dies occupauerat.

Die XXIV. Ian. vulnus granulationibus mollioribus impletum aqua phagedaenica nostra, quae ex mercurio sublimato in aqua fontana destillata soluto parata est, deligauimus.

Die XI. Februarii vulnus per plures iam dies linteo carpto sicco deligatum plane fere coactum et cicatrice obductum erat, ita, vt in medio tantummodo superesset aliqua pars, pollicis fere longitudine, quae nondum sanata erat. Aegrotus, nullum fere incommodum a vulnere percipiens pedeque satis bene incedens ex desiderio suo dimissus est ex Instituto clinico. Dedimus ipsi aquam calcis pro vsu externo. Aliquod post tempus iterum ad nos rediit pedemque plane sanatum nobis monstrauit.

OBSERUATIO IV.

Iohannes Gottlob RABE, annos natus XI e pago Altenburgensi prope Eisenbergam, die XVI Decembris *MDCCCLXXXIII* auxilium petiit a cl. PRAESIDE ab eoque in Institutum
clini-

clanicum receptus est. Parentibus suis in prima infantia orbatus, omnium quam maxime inops, stipem colligere et sub dio plerumque morari coactus erat. Anno aetatis quinto morbillis adfectus paucis diebus sine vlllo remedio adhibito ad pristinam sanitatem restitutus est, ita tamen, vt aliquod post tempus tumores nonnullos scrophulosos in collo perciperet, quos plane neglexit ac pro nihilo habuit. Anno aetatis nono a refrigerio in aruo humido per noctem perpeffo inflammatio erysipelatoſa exorta est in crure sinistro: adhibuit varia emplastra, a barbitonſoribus et carnificibus ipſi data, quae malum non diminuerunt, sed auxerunt, adeo vt vlcera fistuloſa plura orirentur ac tandem vera necroſis tibiae accederet. Dolore acutiſſimo quam maxime vexatus, tandem Jenam venit.

Instituto examine crus finiftrum tumidum inuenimus, adeo, vt dextrum crus craſſitie his fere ſuperaret. Oedema aderat in dorſo pedis et ſupra malleolos: e fiſtuloſis oriſiciis, quorum quatuor numerauimus, efflaebat magna copia puris foetidi et ſpecillum argenteum nigricante colore adſcientis,

ſpecil-

Specillum ad ossis vsque substantiam facile penetrabat: ipsum os tactu asperum erat; cutisque os in hac regione obtegens dura et rubro liuidoque colore adfecta erat. Habitum corporis cachecticum, faciem flavescentem, pulsum paruum celeremque inueniebamus.

Dato leni euacuante antiphlogistico, operatio a cl^{ar}. PRAESIDE instituta est a. d. XIX Decembris, praesentibus collegii clinici membris. Parte integumentorum discissa et remota, longitudine pollicum fere quinque et latitudine pollicum duorum, corrupta et morbo adfecta pars tibiae caeli malleique ope sublata est, quo facto, vulnus linteo carpto sicco impletum spleniisque sufficientibus et fascia idonea inuolutum est.

Die XX Dec. exorta est febris inflammatoria vehementissima, adeo, vt pulsuum ictus numerarentur CXLIV. Spasmi quoque et deliria, siccitas linguae et cutis, aliaque eiusmodi symptomata febris vehementiam manifestarunt. Praescriptum est aegroto infusum radicis valerianae minoris cum cremore tartari, ac datum ipsi est clyisma emolliens et anodynum. Insecuta est placida nox febrisque exoptata remissio.

Die

Die XXI Dec. deligationis adparatus prima vice mutatus est. Inuenimus initium suppurationis bonumque vulneris habitum. Adplicauimus vulnere offis linteum carptum essentia succini humectatum, labiis vero integumentorum plumaceola vnguento e vitello oui et vnguento basilico parato illita.

Die XXII. Dec. deligatio instituta est eodem modo. Adfuit larga suppuratio. Accipit aegrotus decoctum corticis peruuiani et radicis valerianae minoris.

Die XXIV Dec. Ad promouendam exfoliationem os impletum est linteo carpto balsamo FIORAUVANTI humectato, integumentorum vero labia obiecta sunt plumaceolis imbutis vnguento antea memorato, cui additae erant guttulae aliquot essentiae myrrhae. Continuat us vsus corticis peruuiani et radicis valerianae minoris, aluique depositio clysmatibus excitata est.

Die XXVI Dec. bona suppuratio adparuit in vulnere. Pulsuum ictus numeranimus CXX, etsi nullum febris indicium superesset.

Conti.

Continuato per aliquod tempus corticis peruuiani vfu et adhibita diaeta nutriente ac roborante vires aegroti in dies fere increuerunt. Cum robore corporis aucto increuerunt quoque vires animi, adeo, vt puer, qui stupidiffimus antea fuerat, nunc ad quaestiones ipsi propositas bene responderet, ipseque peteret, vt ratio literas in syllabas cogendi librosque legendi ipsi traderetur. Quod ad vulneris statum spectat, suppuratione bona atque laudabili enata et educta festuca ossea sponte prodeunte, granulationibus redintegratae sunt amissae partes tandemque formata est cicatrix, ita vt sub finem mensis Februarii puer sanus ac vegetus ad pagum suum reuertetur. Monendum vero est, per totum fere curationis tempus externe tum adhibitum esse decoctum corticis peruuiani cum melle rosarum et guttulis aliquot essentiae myrrhae mixtum, tum pro re nata adplicatum esse linteam carptum siccum, tandemque ad promovendam cicatricis formationem in vsum vocatam esse aquam calcis viuuae lapidisque infernalis ad marginem vulneris admotionem.

T H E S E S.

1. *Agendi modum plerorumque medicamentorum plane nescimus.*
2. *Acari unica scabiei causa esse non videntur.*
3. *Vsus vesicantium non semper est reiiciendus in morbis putridis.*
4. *Contractio pupillae non ex fibris muscularibus oritur.*
5. *Sunt casus, in quibus placenta non diu post partum extrahenda est.*
6. *Potus calidus in genere plus damni adfert, quam utilitatis.*
7. *Digestionem in homine succo gastrico potissimum tribuendam esse censeo.*


8. *Omnia medicamenta, venena, et contra
omnia venena medicamenta esse possunt.*
9. *De depressione et extractione cataractae
sententia generalis ferri non potest: nulla
methodus exclusivae alteri anteponenda est:
interdum deprimere, interdum extrahere
juvat.*
10. *Medicus practicus Chirurgia plane carere
nequit.*
-

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



8. O
9. De
10. A

contra
possunt.
ractae
: nulla
da est:
rahere
carere